



an 24
25

DE
**V T I L I T A T E
V E N A E S E C T I O N I S
I N D Y S E N T E R I A**

FAVENTE SVMMO NVMINE
CONSENSV
G R A T I O S A E F A C V L T A T I S M E D I C A E
I N R E G I A F R I D E R I C I A N A
P R A E S I D E
PRORECTOR E MAGNIFICO
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

F R I D E R . C H R I S T I A N O I V N C K E R O

MEDICINAE ET PHILOS. DOCTORE HVIVS PROFESS. PVBL. ORD.
ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII MEDICO CONSTITUTO,
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO

P R O

G R A D V D O C T O R I S
LEGITIME CONSEQVENDO
DIE XXVIII. IVN. CIO IO CCLXX.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

G O T T L O B L V D O V . T H E O D O S I V S H E R M A N N
COTHENIENSIS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

(4)

д
ЭТАТИЛ
ВНЕЗЕСТОИИ
И ДИФФЕРЕН

СОЛДАТСКИХ МАСОВ
И СПОСОБОВ ПОДДЕРЖАНИЯ
И ОБРАЩЕНИЯ
СОЛДАТ
СОВЕТСКОГО НАРОДА
ЧИСЛА ИМУЩЕСТВА
СОЛДАТСКИХ МАСОВ

СОЛДАТСКИХ МАСОВ
И СПОСОБОВ ПОДДЕРЖАНИЯ
И ОБРАЩЕНИЯ
СОЛДАТ
СОВЕТСКОГО НАРОДА
ЧИСЛА ИМУЩЕСТВА
СОЛДАТСКИХ МАСОВ

СОЛДАТСКИХ МАСОВ
И СПОСОБОВ ПОДДЕРЖАНИЯ
И ОБРАЩЕНИЯ
СОЛДАТ
СОВЕТСКОГО НАРОДА
ЧИСЛА ИМУЩЕСТВА
СОЛДАТСКИХ МАСОВ

СОЛДАТСКИХ МАСОВ
И СПОСОБОВ ПОДДЕРЖАНИЯ
И ОБРАЩЕНИЯ
СОЛДАТ
СОВЕТСКОГО НАРОДА
ЧИСЛА ИМУЩЕСТВА
СОЛДАТСКИХ МАСОВ

СОЛДАТСКИХ МАСОВ
И СПОСОБОВ ПОДДЕРЖАНИЯ
И ОБРАЩЕНИЯ
СОЛДАТ
СОВЕТСКОГО НАРОДА
ЧИСЛА ИМУЩЕСТВА
СОЛДАТСКИХ МАСОВ

A
SON ALTESSE SERENISSIME
MONSEIGNEUR
LE PRINCE,
CHARLES GEORGE
LEBRECHT
SÉNIOR DES PRINCES REGNANS
DE LA MAISON
D' ANHALT,
DUC DE SAXE, D'ANGRIE ET DE WESTPHALIE
COMTE D'ASCAGNE, SEIGNEUR DE BERNBOURG ET ZERBST
etc. etc.
CHEVALIER DE L'ORDRE DE L'AIGLE NOIR.

A
SON ALTAISSE SARRASINE
MORTEUR
LE PRINCE
CHARLES GEORGE
LEBRECHT
ADMIRAL
DE LA MAISON
D'ANNECY
DU DE SAXE, DUC DE LIGUE ET DE MELTBACH
DU MARCHE DE MONTE, DE VILLEFRANCHE
CIVILITE ET HISTOIRE DE LA CITE NICE

MONSEIGNEUR,

*Si l'effai, que j'ose présenter à
VOTRE ALTESSE SERENISSI-
ME est proportionné à ma Capacité, je
sc̄ai bien qu'il ne l'est pas au rang que
VOUS tenés entre les PRINCES. Il
ne me reste donc d'autre asyle que l'in-
dulgence de VOTRE ALTESSE SE-*

* 3

RE-

MONSEIGNEUR
RENISSIME. Je l'implore en fa-
veur de l'ouvrage et de l'auteur, et si
j'en éprouve les heureux effets, j'aurai
atteint mon but, qui étoit de donner une
preuve publique du profond respect avec
lequel je suis

MONSEIGNEUR,
DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME,

Halle,
le 27. Juin
1770.

Le très-humble, très-obéissant
et très-soumis serviteur et sujet,

GOTTLOB LOUIS THEODOSIUS HERMANN.



§. I.

Materia dysenterica.

Quando remediorum tam vtilitas, quam noxa,
ex curandorum morborum natura, erui de-
bet, quod certe, credo, nemo negabit: nos,
de vtilitate venae sectionis in dysenteria ver-
ba facturos, naturam istius, quam dixi, morbi, quanta qui-
dem fieri potest maxima breuitate, describere oportet. Duo
vero prae ceteris sunt, quae maximam ideo attentionem
merentur; *materia* nempe *excernenda & symptomata*. Quod
ad priorem attinet: obseruata nos docent haec, quae proti-
nus adferam: 1. *eam esse valde acrem.* Docent id notabilis
exrementorum foetor, frequens & vix ferendus tenesmus,
excoriatio illarum partium, quas tangit, insignia ventris tor-

A

mina,

mina, ad conuulsiones vsque quandoque exacerbata, causae dysenterici mali remotae, facilis demum dysenteriae in eiusmodi morbos transitus, qui vel semper ab acri notabili oriuntur, vel inde enasci saltim possunt, quales sunt febris putrida, exanthemata varia, aphthae, gangraena, sphacelus, inflammationes magna^e, vlcera, excrescentiae ani, rheumatismi, arthritides &c. Atque hac istius materie indole dysenteria differt a diarrhoeis quam plurimis, cum partim existant, quas materia *non acris* excitat, quorsum fluxus hepaticus spectat (a), partim aliae dentur, quas acredo fluidorum *minus notabilis* comitatur; 2. *acre*, *quod ipsi adhaeret, multiplex esse sic, ut quodlibet acre, insigni ratione intestina sollicitans, dysenteriam excitare queat.* Satis noui, plurimos in ea versari sententia, ac si acre illud, quod dysenteriam ingenerat, putridum sit. Neque negandum, quod, si plurimos dysenteriae casus sequaris, putredinis signa satis clara detegantur. Foetor enim excrementorum manifesto putridus; caussae, dysenteriam plerumque & frequentissime prouocantes; iuuentia & nocentia, in plurimis casibus detecta; febres denique putridae, inde a dysenteria adeo frequenter productae, luculenter ostendunt, dysenterias quam plurimas a putrido enasci. Posse tamen reliqua etiam, quae innotue-

(a) Sunt equidem, qui corruptum in fluxu hepatico sanguinem evanescunt existimant; acredinem autem sanguinis non nisi accidentale esse fluxus hepatici praedicatum, experientia satis luculenter nos docet, atque ipsem noui exemplum fluxus hepatici, sub quo purissimus sanguis excrenebatur.

notuerunt, acria dysenteriam excludere, patebit ex his. Atque *primo* a priore, quod dicunt, intelligitur, putridum, sua in intestina irritatione agens, dysenteriam efficere. Atqui acria alia non minus irritare intestina possunt. *Dein* similitudo, quae cholaram inter & dysenteriam intercedit (*b*), afferri potest. Prouti enim putridum non unica est cholerae caussa: sic etiam dysenteriae plures cogitari possunt caussae. *Denique* dantur dysenteriae caussae, quas non licebit ad putridum referre. Morbilli, scarlatina, variolae quandoque in dysenteriam abeunt. Iste autem morbi, si inse spectentur, nec ex his, quae superuenire possunt, dimittantur, a putredinis labe distant. Reete iraque *Illustr.*
G A V B I V S acri dysenterico naturam valde diuersam trahit (*c*); 3. eam sistere, modo serum, modo mucum, modo bilem, modo pus, modo saniem & ichorem, modo sanguinem, modo etiam plura horum inter se mixta, cum verminibus interdum & filamentis excreta. Non raro accidit, ut, in uno eodemque aegro, diuerso tempore, modo haec, modo illa ex commemoratis materiis, quandoque etiam diuersi mode colorata, excernatur; 4. illam non semper esse contagiosam. Quamuis enim **D E G N E R V S** videatur morbi contagium ad criteria verae dysenteriae referre (*d*): cum tamen vix illa huius dicti ratio assignari queat, atque praeterea

A 2

vel

(*b*) *DEGNER* *biflor. med. de dysent. bilioso-contag.* Cap. II. §. 63.

— TRALLES in L. de cholera.

(*c*) *Instit. pathol. med.* §. 802.

(*d*) *I. c. XIII. pag. 48.*

vel ipse D E G N E R V S largiatur, posse ab his caussis, quae morbum non contagiosum prouocant, *benigniorem* quandoque *dysenteriam* enasci: E I V S sententiae nemo facile accedere potest. Neque poterunt optimi viri, qui omnem dysenteriam a putrido repetunt, huius vim contagiosam vrge-re, indeque quamlibet dysenteriam contagiosam pronuncia-re, cum euictum sit, putridum quandoque a dysenteria abesse. Monuit quoque Z I M M E R M A N N V S (e), vnam ean-demque dysenteriam & contagiosam & non contagiosam es-se posse, ipsumque eius contagium ab accidentibus quibus-dam pendere. Cum denique acria sint, insigni vi praedita, licet facultate, sana fluida sibi assimilandi, destituta, atque dysenteria queat ab omni acri oriri, quod intestina insigni pla-ne modo irritat (n. 2.): sequitur, dari veras dysenterias, qua-rum materia, si in se spectatur, omnis contagii expers est. Quod certe, si quid ego iudicare valeo, comprobatur, quan-do perpenditur, quanta sit cholera inter & dysenteriam similitudo. Verum enim vero nemo, quantum scio, edixit, omnem cholera esse contagiosam. *Materia itaque dysen-terica* acre est causticum & multiplex, liquida, quae con-fluunt ad intestina, inquinans. Non datur vlla diarrhoea, cuius non posset materia a materiali dysenteriae caussa ea ra-tione distingui.

§. II.

(e) Von der Ruyt pag. 342.

§. II.

Sedes illius.

Quando loca p̄ae ceteris dolentia, tenesni, frequen-
tissimi phaenomeni, ad dysenteriam accendentis, sedem, sectio-
nes demum dysentericorum, a morte peractas (*f*), attendi-
mus: patebit facile, primariam materiae dysentericae sedem
constitui debere in colo & intestino recto. Cum interea pro-
stratio appetitus, nausea & vomitus, vna cum ingrato, quem
percipiunt aegri, sapore & alia, ex eodem fonte deriuanda,
symptomata adeo facile sese dysenteriae adiungant; cum por-
ro obseruatio docuerit, quam egregie sese in dysenteria eme-
tica gerant; cum eriam sectiones, labem ventriculo & inte-
stinis tenuibus illatam esse, ostenderint (*g*), atque demum
eiusmodi materia, qualis est dysenterica, non facile queat in-
testinis crassis inferri, ni tenuia simul ab ea & ventriculus
afficiantur: sequitur, dysentericam materiam toti quidem ca-
nali alimentari insidere, vt tamen p̄ae ceteris intestinum co-
lon & rectum eius tyrannidi exposita sint.

§. III.

Ortus huius materiae.

Acre dysentericum vel a mixtione corporis, quod
dysenteriam efficit, vel a singulari, quem subiit eiusmodi
corpus motu intestino, aut fermentatio, aut putredino.

A 3

so

(*f*) Heuermann vermischt Beobacht. und Untersuch. der ausüb.
A. W. I. Th. pag. 182. Monroe Beschr. der Krankh. in den
Britt. Feldlazareth. pag. 53-54.

(*g*) conf. Heuermann, Monroe I. c.

so (b), repeti debet. Sic venena acria, sua solum mixtione in canalem alimentarem agentia, dysenteriam efficere possunt. Sed blandissima quoque corpora, vt fructus horaei, pus similiaque, in motum intestinum abrepta eoque corrupta, in acre dysentericum degenerant. Quod vero ortum materiae dysentericae proprius spectat: ea ab his pendet. I. *a contagio, quod praedispositum corpus suscepit.* Est enim materia dysenterica non absolute contagiosa, tunc demum nocuia potius, quando dispositio subiecti eius actioni fauet. II. *ab acri, quod massa sanguinis canali intestinorum intulit.* Spectant huc: acre morbilliosum, scarlatinum, variolosum, petechiale, purpuraceum & plura alia. III. *ab acri, per os ad intestina delato* v. g. veneno assumto, IV. *ab acri, in quod cibi potusue ingurgitati degenerarunt, quorsum fructus horaei, cereuisiae minus bene fermentatae, mustum &c. referri possunt.* V. *ab acri, quod morbus intestinorum continet* v. g. vlcus intestinorum. VI. *ab acri, aliunde, quam a massa sanguinis, ad intestina delato* v. g. bilis acerrima, putrida.

§. IV.

Morbi, ab impedita eius evacuatione oriundi

Quamvis frequentia deiectionum dysentericos quam maxime torquere soleat: ea tamen ipsa salutare naturae mollemen, quo corpus ab interitu vindicare studet, inuoluit. Quando enim materiae dysentericae euacuatio impeditur, quod vel a morbo aegri conditione, vt tumore intestinorum inflam-

(b) Huc omnes motus intestinos referto, per quos acre, quod acidum non est, exoritur.

flammatorio, *vel* ab adstringentium, spirituorum aliorum-
ue similiū remediorum vſi fieri potest: innumera subna-
scuntur mala, morsque demum ipsa. Retenta enim acerri-
ma materia intestina & ventriculum inflamat, exulcerat,
inque sphacelum abripit – massam sanguinis corrumpit, pe-
techias, purpuram, aphthas pessimae notæ producit – sin-
gularibus vero partibus illata, eas gangraena, rheumatismis,
doloribus arthriticis, ulceribus malignis &c. afficit. Quae
ergo cum ita sint, luculenter appetet, debere Medicum, in
curanda dysenteria occupatum, de promouenda istius mate-
riae euacuatione cogitare.

§. V.

Symptomata dysenteriae praecipua. Motus febries & febris.

Sequitur, vt symptomata dysenteriae consideremus
(§. I.), interque haec praecipua tantum atque ea, quae nos
respectum venae ſectionis ad dysenteriam docent. Missis er-
go frequentibus dejectionibus, vnicuicunque diarrhoeae tri-
buendis, motus primo febries febrimque ipsam nostram me-
rentur attentionem. Nulla datur vñquam dysenteria vera,
quae eo deſtituta phaenomeno obſeruetur, vt id ideo non ſol-
lum reſte neceſſarium dysenteriae ſymptoma iudicetur, ſed
etiam, quando deficit, ſpuriae tantum dysenteriae documen-
tum praefeat (i). Oriuntur autem, tam motus febri-
les, quam febris ipsa, a cauſis, quae ſequuntur. (i) a do-
lore intefinorum & vi materiae dysentericae irritante. Ma-
gnum

(i) Quandoque febris, ob ſumمام corporis debilitatem, deficere vi-
detur, quamvis vere adſit.

num enim dolorem febiles comitantur motus. (2) *ab inflammatione canalis alimentaris.* Acerrima enim materia dysenterica non poterit eum non facile inflammare, sicque, ob magnam partium affectarum sensibilitatem, febrim accendere. (3) *a materia acri, sanguini illata.* Quando scilicet reuehitur per bibula ventriculi & intestinorum vasa: poterit ea, ut omne acre, quod sanguini inexsistit, cor & arterias fortius sollicitare, & febrim producere. (4) *a consensu primarum viarum cum genere nervoso.* Cum enim materia dysenterica non crassâ solum intestina afficiat, sed tenuia quoque atque ventriculum (§. II.): sequitur, eam fere eadem ratione febrim efficere posse, ac materialis febrium intermittentium caussâ, primis insidens viis, cuiusque actio praecipue a consensu ventriculi & intestinorum cum genere nervoso repeti debet (k). Intelligitur simul ex his, dysenteriae febrim *bilosam, putridam, exanthematicam, inflammatoriam & intermittentem* accedere posse. Cum tamen multiplex acre dysenteriam efficiat (§. I.), atque motus quandoque febiles a solo dolore proueniant: sequitur, non posse febrem dysentericam ad vnam semper alteramue enumeratarum febrium speciem referri, multo minus vero, quod non nulli affirmant, ad biliosam solum, putridam & inflammatoriam.

§. VI.

(k) Vid. *Illustr. b. m. BÜCHNERI* Dissert. de meth. med. febr. int. generatim. §. III.

§. VI.

Ventris tormenta.

Molestissimum dysenteriae symptoma *ventris tormenta* constituunt, adeo huic morbo familiaria, ut semper adsint, ni, extra se raptus aeger, sentiendo dolori impar sit. Causae eorum sunt (1) acredo materiae dysentericae, neruos irritans. (2) spasmus intestinorum & ventriculi, ab acri dysenterico productus & fibras nerueas trahens. (3) nimia muci euacuatio, qua sit, ut non satis possint nerui, contra vim acerimae materiae stimulosque etiam naturales, defendi. (4) inflammatorius primarum viarum tumor.

§. VII.

Tenesmus, Debilitas, Anxietas &c.

Non omnem quidem dysenteriam *tenesmus* comitatur, sicuti nonnullorum sententia fert (1), plerosque tamen dysentericos torquet. Caussae illius latent (1) in acri dysenterico, neruos fibrasque musculares intestini recti sollicitante. (2) in nimia muci euacuatione, qua actio acris irritantis adiuuatur. (3) in tumore inflammatorio, quo tenduntur partes sic, ut facilius irritari queant.

Virium prostratio non minus frequens obseruatur dysenteriae phaenomenon, quae pendet (1) a corrupta materia, primas vias replente. (2) ab acri, ad sanguinem delato. (3) a deriuatione humorum ad intestina. (4) a nimia humorum eu-

(D) vid. MONRO I. c. ZIMMERMANN & alii testantur, fere semper tenesmum obseruatum esse.

B

euacuatione. (5) a diuturnis vigiliis. (6) a statu sanguinis inflammatorio. (7) a dolore ventrisque terminibus. (8) a febre.

Anxietas, quam in dysentericis obseruare licet, non solum ab aliis eius symptomatis v. g. febribus (§. V.), dolore (§. VI.), tenesmo, debilitate &c. pendet, sed maxime etiam enascitur a materia corrupta, quae ventriculo inhaeret.

Sitis dysentericorum oritur ab acri, sanguini illato; a materia dysenterica, ventriculum replente; ab euacuatione seri nimia; a deriuatione humorum ad intestina; a calore febrii nimio; a statu sanguinis inflammatorio.

Deliria a dolore excedente; a primis viis labe affectis; a febre dysenterica, congettiones sanguinis versus caput efficiente; a metastasi materiae dysentericae, ad cerebrum facta; a corruptione partium sphacelosa; a nimia humorum euacuatione proficiuntur.

Vrinæ suppressio, quandoque accedens, cauſas agnoscit: deriuationem humorum nimiam ad intestina; consensum primarum viarum cum renibus & vesica vrinaria; statum sanguinis inflammatorum; defectum humorum; tumorem inflammatorum, vias vrinarias prementem.

Sphacelus partium modo a putrida materia dysenterica, modo a vehementi inflammatione praegressa prouenit.

Vigiliae diuturnae a dolore; euacuatione continuo urgente; febre; cruditate primarum viarum enascuntur.

Syncope demum excipit summum dolorem; febrem putridam; euacuationem nimiam; turgorem materiae dysentericae in ventriculo.

§. VIII.

§. VIII.

Notio dysenteriae.

Est ergo *dysenteria* species diarrhoeae, qua acre multiplex, cum insignibus ventris tormentibus & febre, aut motibus saltim febrilibus, expellitur.

§. IX.

Dysenteria benigna & maligna.

Dysenteriae variae stabiliuntur species, quas inter benignam solummodo & malignam considerabo, ut pateat scilicet, venae sectionem, & in praecauenda & in tollenda dysenteriae malignitate, multum valere. Quam vero dolendum, quod Medici, licet benignitatis & malignitatis vocibus adeo frequenter vtantur, in vero ramen earum significatu summopere dissentiant! Plura ea de re monenda essent. Breuitatis autem studiosus, omnia missa facio, quae, non sine ratione, in varias malignitatis & benignitatis notiones dicci possent; sufficiat, eas asserre, quae mihi quidem verissima videntur. Quando nempe morbo cuidam insolita & periculosa symptomata accidunt: is ipse morbus nominatur *malignus*, eique *benignus* contradistinguitur. Sic febris intermittens vocatur maligna, quando affectus soporosus, apoplexia, syncope, salivatio enormis, tetanus vniuersalis &c. ei accedere obseruantur. Verum ista symptomata, si referantur ad febrem intermittentem, omnino & insolita sunt & periculosa. Quando etiam in febre quadam adeo magna obseruantur debilitas, vt pulsus ne febrilis quidem compareat: nemo de praesentia febris malignae dubitabit. Nonne vero

eiusmodi debilitas febrilis insolita est atque periculosa? Cauendum tamen, ne vel ex insolitis solum symptomatibus, vel periculosis tantum, morbi malignitas determinetur. Quodsi enim, ingruente febris intermittentis paroxysmo, caecitas obseruatur: insolitum praesens erit symptoma, absque tamen malignitate. Idem valer de periculo symptomatum, si in se spectetur. Continuus & profusus sudor, inflammatoriae febris comes, sine dubio periculosum erit febris inflammatoriae symptoma. Quis vero ideo dicet, hanc febrem esse malignam? Laesa in peripneumonia respiratio periculosa est symptoma. Quodsi nunc omne periculosum symptoma malignitatem indigitaret: omnis ideo peripneumonia maligna dicensa esset, quod nemo, credo, affirmabit. Quod reliquum est, monendum esse duco, *insolitum* symptoma non solum ex eius qualitate, sed etiam gradu erui debere. Sic quamlibet quidem febrem intermittentem comitatur sudor; quando vero continuus est atque excedens, insolitum febris intermittentis symptoma constituit. Atque idem in aliis quam plurimis exemplis affirmari potest.

§. X.

Notiones earum.

Maligna itaque dysenteria aderit, quando (1) sueta illius symptomata periculosa, excedente in gradu, obtinent. (2) alia insueta & periculosa praesto sunt. *Benigna* contraea requirit, vt (1) sueta dysenteriae symptomata, mitiori in gradu, aegrum afficiant. (2) nullum aliud symptoma, quod & insolitum sit & periculosum, obseruetur. Intelligitur inde,

de, malignam dysenteriam obtinere, si (1) excrementa, insigni foetore praedita, excernantur. (2) febris nimis magna obseruetur. (3) dejectiones nimis sint frequentes. (4) debilitas febrim suppressimat. (5) dolores sint immanes. (6) anxietas insolita, cum aliis periculosis symptomatibus, ut vrinae suppressione &c. aegrum torqueat. (7) Nimis cito increscat. (8) Euacuatio materiae impediatur (§. IV.). Benignae nunc dysenteriae praedicata ex his facile erui possunt, ut non opus sit plura de iisdem in medium afferre.

§. XI.

Periculum inflammationis, ad dysenteriam accendentis.

Superefst, in theoretica dysenteriae consideratione, ut periculum tam inflammationis, quam plethorae describatur. Inflammatio ergo, quam dysenteriae facilime accedere docuimus (§. V.), periculum dysentericis affert, dum (1) morbosphaenomena generatim auget. *Enim vero aeger dysentericus, sola etiam dysenteria afflatus, sua iam habet pericula, quibuscum ipsi colluctandum est.* Nunc si inflammatio accedat, interiora loca corporis occupans, nouos adiungitur status, quocum periculum plus minus magnum coniunctum est. Non poterit ergo aliter fieri, quin totius morbi periculum augmentum capiat, aegerque in vitae discri-
men adducatur. (2) plura dysenteriae phaenomena, quibus iam stipatur, augmentur sitis v. g. calor, anxietas, dolor, suppressio vrinae &c. (3) metus gangraenae & sphaceli enascitur. *Enim vero materia dysenterica non solum acerrima existat, de qua notum, eam maximam inque gangraenam & sphacelum fa-*

cile tendentem inflammationem, non raro accendere, sed ipsa quoque ista materia frequentissime ad putridi naturam accedit, qua indole sit, ut sanissima etiam, in tumore inflammatorio stagnantia, liquida in sibi similem corruptionem abripiat. (4) tumor inflammatorius, intestina occupans, caum que eorum coarctans, euacuationem materiae dysentericae praepedire potest. Sed vidimus (§. IV.), quam periculosus exinde corporis status oriri queat, vereque saepe oriatur.

§. XII. de mortis a syphilitis.

Damna plethorae in dysentericis.

Neque plethoricus status sine periculo in dysenteria fertur; minori licet stipetur, quam inflammatorius. Namque (1) multa dysenteriae symptomata exacerbat faciliratque, v. g. deliria, anxietatem, febrem, fitim &c. (2) transit facile in inflammationem veram. Neminem enim fugit, plethoram caussam esse inflammationis praedisponentem. Atqui materia dysenterica occasionalis caussae munere fungitur, dum vehementer intestina totumque canalem alimentarem, adeo sensibilem, irritat. E concursu itaque praedisponentis & occasionalis caussae quam facillime inflamatio ipsa effici potest, cuius periculum §. anteced. luculenter euictum dedimus.

§. XIII.

Curationis dysenterici mali generalia momenta.

Propius iam ad propositum scopum accedens: curationis dysenterici mali generalia momenta stabilienda sunt, cumque his venae sectionis effectus comparandi. Attenti ergo ad naturam dysenteriae, duas indicationes formabimus,

quas

quas dicam. *Vna* postulat euacuationem materiae dysentericae; *altera* lenimen vrgentiorum symptomatum, quibus cum stipatur dysenteria. Cum enim retenca materia dysenterica pessimos producat effertus (§. IV.) atque etiam essentiam veramque morbi caussam constituat (§§. I. VIII.); eius omnino euacuatio indicatur. Duo sunt, quae ideo exsequi Medicum oportet. Enimuero (1) remedii uti debet, materiam dysentericam *praeparantibus*. Quandoque enim ista materies *vel* glutinosa nimis exsistit, *vel* nimium acris. *Illa* sua tenacitate, *haec* acredine, qua spasmos efficit, euacuationi resistit. Ne ergo illius euacuatio impediatur (§. IV.) modo lenioribus resoluentibus, modo obuoluentibus vtendum. (2) *euacuanta* ipsa adhiberi debent, atque primo *emetica*, si sapor ingratus, inanes vomendi conatus aliaque cruditatis, in ventriculo praefentis, symptomata adsint; dein vero *laxantia*, e crassis in primis intestinis dysentericam materiam euacuanta. Néque licebit haec, ante emeticorum usum, laxantia in usum vocare, vt caueatur scilicet, ne materia maligna et ventriculo ad intestina transeat, sicque morbum aut protrahat, aut etiam exacerbet. Leniora denique *fudorifera* offerenda, si forsitan signa acris dysenterici, in sanguine exsistentis, in conspectum prodeant. Apposite dico: *leniora*; fortiora enim corruptionem augent. *Alterā* indicatio non minus necessaria est. Dantur enim dysenterici mali symptomata, quae modo sumimum aegro creant incommodum, vt sitis; modo curationem impediunt, vt tumor intestinalis inflammatorius; modo etiam periculosa sunt, vt syncope.

cope. Haec tollere, haec si id fieri potest, praecauere, Medicum, dysenteriam curaturum, oportet.

§. XIV.

Venae sectionis usus in dysenteria laudatur & vituperatur a Medicis.

Sufficient haec de natura & curatione dysenteriae generatim dicta. Sequitur, ut venae sectionis usum in dysenteria disquiramus. Quem quidem Medici modo laudant, modo vituperio afficiunt. Videtur SYDENHAMVS, vir praestantissimus vereque experientissimus, venae sectionem summopere necessariam in dysenteria iudicare. Postquam enim dixit, dysenteriam febrem esse sui generis in intestina introuersam, cuius ope humores calidi atque acres, in massa sanguinea contenti atque eandem exagitantes, per arterias mesaraicas in dictas partes deponuntur: haec addit: *proinde utro se indicationes offerre videbantur, neque mihi aliud quid incumbere existimai, quam ut primum acres istos humores secta vena immediate reuellerem, quo facto insuper reliquam massam contemperarem, tum etiam dictos humores per cathartica subducerem.* — *Hac itaque methodo sum usus.* Quo primum accersebar die, venam cubiti tundendam suasi, eadem nocte & paregoricum propinavi, & sequenti aurora potionem catharticam &c. Quamuis etiam postea moneat, extitisse dysenterias, quae catharticis non tam facile obtemperrarent: tamen in his necessariam iudicavit venae sectionem, si aeger aetate florens febricitaret. Denique notat, accidere nonnumquam, licet raro admodum, ut dysenteria sub initio non rite curata, particulare subiectum ad annos aliquot discru-

scruciet, integra sanguinis massa crasin quasi dysentericam iam adepta, vnde acres calidique humores intestinis continuo suppeditentur, aegro interim singula vitae munia mediocriter bene obheunte. Quod singulari exemplo comprobat dysenteriae, mulierem per tres annos continenter afflignantis & venae sectione repetita sublatae. Cum remedia, inquit, quam plurima esset experta, antequam ad me accederet, venae sectionem tantum, missis caeteris praesidiis quibusque, celebrandam censui, quam ut saepius repeterem, longioribus tamen interuallis, tum sanguinis color, pleuriticorum sanguinis aerulus, tum insigne illud, quod singulas vices magis ac magis auctum sentiebat leuamen, miki addebat animos; cuius ope tandem pristinam sanitatem consecuta est (m). In curanda etiam febre dysenterica venae sectionem adhibuit (n). Demum repetit dicta de venae sectionis in dysenteria necessitate in *Processu integr. in morb. omnibus cur.* (o). Quod vero minime omitendum, largitur SYDENHAM (p), quod in constitutione quaquis, dysenteriae minus fauenti, euacuationes istae (nempe sanguinis & aliū) tuto omitti possint, ac curatio compendiosiori via, solo nempe vsu laudani, absolvi. Manifestum autem est, SYDENHAMVM laudare venae sectionem in dysenteria ideo, quod humores ab intestinis reuelat; hinc que etiam cubiti venam tundit.

§. XV.

(m) *Opera omn.* pag. 111. 114. 115.

(n) 1. c. pag. 118.

(o) 1. c. pag. 509.

(p) 1. c. pag. 116.

§. XV.

HUXHAMI, PRINGLII, MONROI aliorumque iudicia.

HUXHAMVS, licet aliunde, venae sectionem non minus in dysenteria dilaudat. Describens enim epidemicam quandam dysenteriam, aderat semper, inquit, febris plus minusue, sanguinem ideo plerumque incipiente morbo detrahi curabam, ne grauior foret intestinorum inflammatio, indeque acerbiora tormenta, certiorque demum gaugraena - Atque dein: venae sectionem, quam superiore mense ad dysenteriam consului, iam etiam magis necessariam inuenio ipso protinus morbi initio, ob magnum sane & insolitum tempestatis calorem: turgescit enim inde quam plurimum rorescens sanguis, atque maiorem excitat inflammationem. Vix vixquam utique datur dysenteria epidemica, ubi intestina non sunt, aliquo saltim gradu, inflammatata. Vbi autem viget inflammatio, ibi recte semper mittitur sanguis quam primum; vires, aetas, pulsus, constitutio & anni & ipsius aegrotantis modum statuant (q). Venae sectionem quoque in dysenteriae principio commendat PRINGLE (r). Cautius M O N R O S venae sectionis usum definit (s). Wenn die Kranken, inquit, bey Kräften waren, und über starke Leibesschmerzen klagten, bey welchen sich zugleich ein Fieber fand, so ließen wir dreist Alter; und ließen uns auch im Anfange, durch den kleinen geschwinden Puls, welcher ofte bey dieser Krankheit war, nicht

(q) Oper. phys. med. Tom. I. pag. 294. 290. 291.

(r) vid. MONRO l. c. pag. 58. ZIMMERMANN l. c. pag. 386.

(s) l. c. pag. 57. 58.

nicht abschrecken, sondern fanden ofte, daß sich der Puls hob, da das Blut aus der Ader floß. Wenn aber die Kranken entkräftet und schwach waren, nicht viel Schmerzen oder Fieber hatten, und der Puls klein war, so sparten wir das Blut. Addie in adiecta nota haec: In den mehren von den frischen Fällen, sahe ich, daß das Aderlassen recht sehr nothig war, und sehr viel sowohl zu der Erleichterung, als Genesung des Kranken beytrug. In der That, wo die Krankheit schon eine Zeitlang gedauert hatte, und das Fieber vergangen war, ehe der Kranke uns zugeschickt wurde, die Krankheit auf gewisse Art chronisch und der Krankenschwach geworden war, alsdann war das Aderlassen unnöthig, und würde wahrscheinlicher Weise schädlich gewesen seyn. Dr. Russel sagte mir, daß, als die Dysenterie zu Gibraltar im Sommer 1756 epidemisch gewesen, er gefunden, daß wenn diejenigen Kranken, welche er bey dem ersten Anfange der Zufälle antraf, Ader gelassen und man ihnen gleich darauf ein Brechmittel, und nachher ein schwefelreibendes Tränchen gegeben, die Krankheit verringert worden, und wenige der selben gestorben. TISSOT in eo solum dysenteriae casu, vbi febris inflammatoriae signa praesto sunt, V. S. commendat (*t*), a qua sententia non recedit ZIMMERMANN (*v*), MARQVETVM vituperans, vel in dysenteria inflammatoria, venae sectionem reiiciens. Consentit non minus HEVERMANN (*x*) & plures. Addere his demum liceat HOFFMANNVM (*y*), egregie ve-

C 2

nae

(*t*) Anleit. für das Landvolk. p. m. 329 seq.

(*u*) I. c. pag. 380.

(*x*) I. c. pag. 184.

(*y*) Medic. rat. System. Tom. IV. Part. III. pag. 465.

nae sectionis vsum in dysenteria definiēt, praecōceptasque de ea opinōes refutantem. *Multiplici*, inquit, *ductus experientia statu*, quod in subiectis valde pletoricis, diaetae vinosae adsuētis, si dysenteria cum febre continua corrīpiantur, omnino per quam sit necessarium, venam ab initio secare. Monet equidem, HIPPOCRATE & GALENO prae-euntibus alio fluente sanguinem non esse detrahendum, atque fatetur, id quidem pro generali in nostris regionibus monito practico habendum esse, suis tamen limitibus circum-scribendum, cum probatissimorum scriptorum, quos nominat, testimonia adsint, in laudem & commendationem venae sectionis prolata. DEGNERVS & plures alii venae sectioni non adeo fauent, territi imprimis aut vulgi praeiudiciis, aut infelici euentu in hac illaue dysenteriae epidemia, aut debilitate, dysenteriam comitante.

§. XVI.

Comparatur venae sectio cum indicationibus stabilitatis. Effectus V. S.

Vt iam venae sectionis, in dysentericis celebratae, utilitas recte definitur: effectus eius cum stabilitate (§. XIII.) indicationibus comparandi veniunt. Generales venae sectionis effectus ad hos redeunt, in generali therapia vberius demonstrandos. (1) copiam sanguinis minuit. (2) actionem quidem cordis & arteriarum generatim frangit, vt & eam, qua particulae sanguinis in se inuicem nituntur; at (3) suscitat illam, quando a fluidis nimium resistentibus languet. (4) soluit ideo spissitudinem, imprimis inflammatoriam, & temperat. (5) excretiones, quas moles, tenacitas & nimium excedens fluidorum

rum motus suppresserunt. (6) deriuat & reuelliit, atque hinc
(7) stases ac obstructiones soluere valeat.

§. XVII.

V. S. comparatur cum indicat. Ima.

Monui §. XIII. Medico eo respiciendum esse, vt acre dysentericum euacuetur. Atqui videtur venae sectio, quod hanc spectat indicationem, satis adiaphora esse. Neque enim emesis prouocat, neque copiosiores deiectiones. Atque licet videri queat, ac si venae sectio acre dysentericum, quod forsitan reconditum habet massa sanguinis, euacuet: ea ipsa tamen utilitas euanescit, quando perpenditur, non nisi parcum istius acris quantitatrem sic expelli, compendiosiore via euacuandam - Quibus vero licet ita comparatis, venae sectio tamen, ad hanc etiam relata indicationem, summopere utilis erit, in quibusdam nempe dysenteriae casibus. Quod vt patet: haec notanda. (1) dictum est, tumores inflammatorios, intestina occupantes, euacuationem materiae dysentericae praepedire, idque pessimo cum euentu. Atqui venae sectio inflammaciones discitit. (2) emesis in plethoriciis cum vitae periculo prouocatur. Quando ergo in dysenterico, cui nimum abundans sanguis inexsistit, emesis indicatur: plethora prius venae sectione minuenda venit. (3) dum venae sectio reuelliit, efficit, vt minor humorum copia ad intestina defertur; hincque fit, vt, cum minor corruptae materiei quantitas generetur, euacuantia eo faciliter exoptatum exserant effectum. (4) cum venae sectio, in plethoriciis atque febre magna & inflammatoria laborantibus celebrata, cutaneam ex-

C 3

cre-

cretionem reuocet: acre sic dysentericum, quod massa sanguinis continet, expelli potest.

§. XVIII.

V. S. refertur ad alteram indicationem.

Postulat methodus dysenteriae medendi, ut vrgentioribus etiam symptomatibus occurrit (*§. XIII.*). Sed venae sectio ideo summam quandoque meretur laudem. Enim vero (1) vidimus quam pessime solui soleat dysenteria, si eandem febris inflammatoria tumorque intestinorum inflammatorius comitetur. Atqui venae sectio ei medetur (*§. XVI.*). (2) anxietates, agrypniae, dolores, tenesmi, suppressiones virinae, sitis, & alia dysenteriae phaenomena prouocantur non raro ab eiusmodi conditione, quam tollit venae sectio, plethora nempe, febre magna & inflammatorio tumore (*§§. VI. VII. XXI.*). (3) plethora dysenteriae iuncta, malum morbi euentum metuendum esse indicat (*§. XII.*). Venae sectio vero eandem quam citissime tollit.

§. XIX.

Vtilitas & noxa V. S. in dysenteria generatim.

Quodsi ergo plethora vrgens, inflammatoria febris, doloresue adeo immanes adsint in dysenteria, vt inflammatorius intestinorum tumor inde metuendus veniat: de vtilitate venae sectionis in dysenteria dubitari nequit. Nec video sane, quid obster, quo minus in his casibus venae sectio celebrari queat. Tantum enim abest, vt materiae dysentericae evacuationem impedit, vt potius adiuvet. Neque exacerbat dysenteriae symptomata, sed leuat ea quam optime (*§. ant.*).

Quod

Quod etiam a quibusdam graue reputatur dubium, a debilitate corporis viriumque prostratione desumtum: in descriptis certe casibus locum habere nequit. Quem enim fugit, plethoram, statum inflammatorium summumque dolorem, quae phaenomena venae sectio minuit tollitue, debilitatem inferre, hincque venae sectionem, in his casibus administratam, vires non infringere, sed excitare potius? Pulcherrime etiam ad id dubium respondit *Ill. b. m. HOFFMANNVS*, quando *I. c. vanus est*, inquit, *metus, sanguinis missione vires inninui, & quum non modo plerique dysentericorum ex inflammatione intestinorum moriantur, verum quoque plethorici, si continuis infestentur febris, non nisi ob nimiam sanguinis molem, ad stases, gungraenam & sphacelum disponentem, pereant, non certe conuenientius, in his periculis antevertendis, venae sectione repertitum praesidium.* Quodsi denique tristes administratae venae sectionis euentus afferantur: memores nos esse oportet, minus tunc recte venae sectionem institutam esse, mortisque aegri caussam ad Medicum redire – Quando contra ea plethora, status inflammatorius, huiusque metus absunt, quando defectus humorum, febris putrida, summa virium prostratio obtinent: non poterit non nocua venae sectio existere.

§. XX.

SYDENHAMI sententia diuidicatur.

Videtur his, quae in fine §. ant. dixi, *SYDENHAMI* superius allata sententia quodammodo contradicere. Manifesto enim Vir optimus venae sectionem ideo in dysenteria utilem

iem esse iudicat, quod reuelliit (§. XIV.). Nunc reuulsio illa, quam obtinere SYDENHAMVS in dysenteria annititur, impertrari venae sectione potest, licet nec plethora, nec status inflammatorius, nec immanis dolor praesto sit. Quilibet ergo colligit inde, SYDENHAMVM venae sectioni & maiorem, & frequentiorem usum in dysenteria, tribuere. Liceat itaque hanc ILLIVS sententiam diiudicare – Atque *primo* quidem hoc SYDENHAMI iudicium, de venae sectione latum, EIVS de dysenteriae natura conceptae opinioni innititur. Cum enim iudicet, dysenteriam non nisi febrem esse sui generis, ad intestina conuersam: de reuellendo ab intestinis sanguine IPSI erat omnino cogitandum. Quod vero pace laudatissimi Viri dixerim, dysenteria non raro longe alia ratione incedit. Satis enim nunc euictum est, dysenteriam posse quidem a corrupto sanguine pendere, eandem vero non minus a topico primarum viarum vitio aut alia caussa, praeter sanguinis acredinem, oriri, idque ea ratione, ut postmodum sanguis potius a dysenterico acri, *reuelto* a primis viis, inquinetur. Notandum quoque, hanc, a SYDENHAMO allatam, venae sectionis administrandae rationem vel in his subiectis valere, quae febre dysenterica putrida, summa cum virium prostratione connexa, laborant; in quibus certe, non sine summo vitae periculo, venae sectio adhiberi potest. Denique, praeter venae sectionem, alia satis nota dantur remedia reuellentia, usurpanda in eo casu, ubi reuulsione opus in aegro, cuius status venae sectionem vetat (§. antecet.).

§. XXI.

E p i l o g u s

Pauca haec, de venae sectionis in dysenteria utilitate dicta, sufficient. Quae enim de repetenda venae sectione, de quantitate sanguinis emittendi, deque signis eorum statuum, qui venae sectionem postulant (§. XIX.), afferri adhuc possent, adeo nota esse iudico, ut iis inhaerere non opus sit.

VIRO

V I R O
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
 AMICO OPTIMO

S. D. P.

IOANNES. GEORG. FRIEDERICVS BUCHNER,
 MED. DOCTOR.

Vt nunquam in amicis *Tuis* tardus videri volo in officiis, quae *Tibi* pro nostra amicitia debeo, praefandis, ita hodie, quum omnes ardentissimas preces ad Deum pro *Te* mitunt, nulli cedere me patiar. *Tibi* iam illi fructus, qui diligentes artis medicae cultores maxime ornant, tribuentur dignissimo, quibus alii efflorescunt. Honores enim medicae artis *Te* cum *Tua* doctrina insigni in patriam ducunt, vbi fortasse morbi, qui a *Te* tollantur, *Te* expectant. Abi itaque in patriam *Tuam*, sume honores, & adfer tantam omnibus salutem, quantam maximam *Te* latetur patria *Tua* confidit. Fruere meliori fato in fortuna *Tua* secunda hanc adeo contemnas, vt propter illam ne amicum *Tuum* contemnas. Vale, & me in amando perge. Dab. Halae Magdeb. d. xx. Iun. M.D.CCLXX.

M O N S I E U R ,

Enfin je vois mes voeux accomplis qui *Vous*, Mon cher *Ami*, ont long temps mené au lieu où *Vous* êtes maintenant. Votre grande diligence & votre zèle ardent ont enfin le pouvoir, à *Vous* rendre favorable le Dieu de notre art. Souvent il sembloit qu' Apollo ne regarde point votre ardeur & vos merites: souvent je *Vous* fis plaindre de n'être pas exaucé de Lui; mais un courage invincible *Vous* fit rejeter des pensées, que la dureté

D

dureté de ce Dieu *Vous* pouvoit inspirer. De même qu'un labourier compagnard ne desespere pas des steriles années qui l'ont frustré ses douces esperances : il travaille le pain pur en mains, croyant, qu'une meilleur année le dedomagera. Mars un temoigne de vos travaux & des soins, que *Vous* avez pris pour tirer ses fils des douleurs, & même des soins, que *Vous* avez pris de les arracher de la gueule de la mort, à souvent pris une recompense pour *Vous*. Ni les prières du Mars, ni les souhaitez des ceux, que *Vous* avez fautes, ne purent flechir L'Apollo. Il restoit foudre, & *Vous* futes fidèle... Mais enfin il ne ne pût tenir contre Votre patience & constance reiterées, il *Vous* donne aujourd'hui des gages de sa faveur long temps merités. Heureux jour, tu me sera d'une éternelle memoire au quelle enrichi des laurieux, *Vous*, mon cher *Ami*, eucilles la recompense de Votre diligence & des Vos vertus! Que ce jour, cher *Ami*, soit le commencement de Votre bonheur, que d'aujourd'hui croissent les jour de votre salut, & que jamais rien ne soit capable de limiter sa courie! Le Tout puissant *Vous* conduise, *Vous* fasse réussir dans tous Vos bons desseins & entreprises & *Vous* conserve jusqu'à un age le plus avancé à la satisfaction de tous ceux qui *Vous* aiment. Au reste je *Vous* pris, mon cher *Ami*, de ne faire périr le souvenir de moi & de *Vous* persuader, qu'il n'y a personne, qui *Vous* aime plus que moi, qui serai jusqu'à la dernier extinction de ma vie.

MONSIEUR

a Halle
le 28 du Juin

1770.

Votre fidèle Ami

THEOPH. FREDERIC WEGENER
POMERANIEN
ETUD. EN MEDEC.

Ua 4711



Slb.

3



and 24
25

V T I L I T A T E
VENAE SECTIONIS
IN DYSENTERIA

FAVENTE SVMMO NVMINE
CONSENSV
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
PRORECTOR MAGNIFICO
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO
MEDICINAE ET PHILOS. DOCTORE HVIVS PROFESS. PVBL. ORD.
ORPHANOTROPHI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII MEDICO CONSTITVTO,
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO

P R O
G R A D V D O C T O R I S
LEGITIME CONSEQUENDO
DIE X XVIII. IV N. C I O I O C CLXX.
H. L. Q. C.
PVBLICE DISPVTABIT
AVCTOR
GOTTLOB LVDOV. THEODOSIVS HERMANN
COTHENIENSIS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO. (4)